



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

Capitvlvm XLII. Is cui.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

tionem, vel prouisionem alicuius, accipi debent duntaxat de appellatione extraiudiciali: Sin autem in iudicio appelletur, procedendum est secundum iura antiqua.

Contra hanc responsionem obijcitur: Vbi eadem est ratio dispositionis, ibi idem ius esse debet: sed ratio, quæ mouit Gregor. X. in cit. c. vt circa, ad nouam formam præscribendam appellationibus, vt via malitiis hominum præcludatur, æquè locum habet in appellatione intra iudicium, quàm extra iudicium: Ergo idem de utroque statutum videri debet. Respondetur cum Gl. marginali, in hoc c. Quod lex exorbitans, sicuti & pœnalis, aut alia quæ strictæ interpretationis est, propter similitudinem rationis in ea expressæ extendi non debet ad similia, nisi necessitas aliqua cogat: Quia correctio iurium, quatenus fieri potest, vitanda est, c. cum non expediat, 29. hoc lib. & tit. l. præcipimus, C. de appellat. Ita colligitur ex hoc c. & docui lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 18. n. 9. in fine.

## CAPITVLVM XLII.

Is cui.

## SUMMARIVM.

*Qui habet plenam administrationem ecclesiæ Cathedralis vacantis, omnia iurisdictionalia exercere potest, non autem ea, quæ ordinis episcopalis sunt, nisi Episcopus sit.*

**Q**ui vacantis ecclesiæ Cathedralis administrator, cum plena ac libera potestate constitutus est à Sum. Pontifice (cuius id proprium est) ille omnia, quæ iurisdictionis Episcopalis existunt, & quæ electus ac confirmatus Episcopus potest, liberè exercere valet: excepto quod immobilia bona ecclesiæ alienare nequit. Illa verò, quæ ordinis Episcopalis sunt, si ipsemet Episcopus non sit, per alium consecratum Episcopum expedire debet.

**NOTANDVM** Vn. Administrator generalis cum libera, à Pontifice constitutus alicui ecclesiæ, licet in fructibus non eam quam

Prælatus potestatem habeat, cum eos successori reseruare, ideòque rationem reddere debeat, vti hic Ioan. Andr. annotauit, attamen in administratione, & iurisdictionis exercitio æquiparatur Prælato: Imò aliquantò maiorem potestatem habere videtur in administratione, quippe plenam ac liberam, quam an Episcopus habere censeatur, non satis liquet: vti hic videre licet in Gl. ver. & libera. Nam alienatio rerum mobilium pretiosarum tali administratori concessa videtur ex iusta causa, secundum Gl. hinc ver. immobilia: Ea tamen Prælatis interdicta est, c. nulli, de rebus eccles. alien. vel non.

Porrò non solet facilè Pontifex generalem administratorem cum libera ecclesiæ Cathedrali statuere, nisi Capitulum, cui alia administratio competeret, suspectum ipsi sit: ita vt etiam ad electionem noui Episcopi in tali casu, procedere non debeat: cum Papa prouisionem ad se reuocare censeatur. Vide Gl. hinc, ver. confirmatus.

## CAPITVLVM XLIII.

Indemnitatibus.

## SUMMARIVM.

1. *Monialis non admittitur ad electionem, nisi duodecimum annum compleuerit, & tacitè vel expressè professionem eiderit: Abbatissa autem, vel Priorissa, nisi trigesimum, & insuper expressè professæ fuerint.*
2. *Iure nouo Trident. Moniales hodie non possunt ad electionem admitti, nisi completo XVI. ætatis anno, post completum annum XII. puella habitum regularem suscipere possunt: ante admissionem autem ad professionem debet examinari de proposito liberè profutendi.*
3. *Eodem iure Trident. Abbatissa, vel quæcunque Monasterij præfecta eligi non potest, nisi quadragesimum, aut in quibusdam casibus trigesimum annum compleuerit.*
4. *Electa à duabus partibus, cum per ser-*